Auſpice Jeſu!

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

De

LITIS DENUNCIATIONE,

Quam,

Divini Numinis Adſiſtentiâ,

Ex Decreto atq; Autoritate Nobilisſimæ atq; Amplisſimæ Facultatis Juridicæ Wittebergenſis,

SUB PRÆSIDIO

Nobilis, Amplisſimi, Conſultisſimi atq; Excellentisſimi Viri,

DN. WILHELMI LYSERI, J. U. Doctoris, P.P. Curiæ Electoralis, Scabinatûs & Facultatis Juridicæ Asſesſoris,

Pro ſummis in utroq; Jure privilegiis & honoribus Doctoralibus conſequendis

publicæ cenſuræ ſubjicit

JOHANNES SEYFERTUS, HAL. SAXO,

D. 18 Auguſti,

Horis ante & pomeridianis,

Anno M DC LIX.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

1752.

Viris Magnificis, Nobilisſimis, maximè Strenuis, Amplisſimis, Excellentisſimis ac Conſultisſimis,

DN. JOHANNI KRULLIO,

J. U. D. nec non Reverendisſimi ac Illuſtrisſimi Principis & Adminiſtratoris Magdeburgenſis &c. Conſiliario Intimo & Vice Cancellario meritisſimo;

DN. GEBHARDO ab ALVENSLEBEN,

Hereditario in Newengattersleben/ itidemquè Conſiliario Intimo, Aulæquè ArchiEpiſcopalis atquè Juſtitiæ famigeratisſimo:

DN. JACOBO UNRUGIO,

J. U. D. Conſiliario Aulæ ac Juſtitiæ, Salinarumq; Hallenſium Comiti gravisſimo;

1154.

DN. LEVINO à BARBY,
Aulæ ac Justitiæ Consiliario, nec non Capitaneo Præfecturarum Calbe/ Gottesgnaden & Acken celeberrimo:

DN. FRIDERICO HOHNDORFFIO, J. U. Lic Consiliario Aulico atq; Justitiæ, ut & Ærarii Hallensis Publici Inspectori vigilantissimo:

DN. JOACHIMO CHEMNITIO, J. U. D. Aulæ & Justitiæ Consiliario dignissimo:

Dominis Patronis & Promotoribus suis, summò ac perpetuò reverentiæ atq; observantiæ studiò unicè prosequendis,

Disputationem hanc Inauguralem obsequentissimè
D. D. D.

JOHANNES SEYFERTUS.

In Nomine Jesu!

Thes. I.

De Litis denunciatione acturi, ante omnia evolvenda veniet ejusdem *Definitio*, quæ *vel* Nominalis eſt, *vel* Realis. Ratione *Nominalis Definitionis* primò conſiderabimus vocis *Etymologiam*, (a) ubi Litis denunciationem vocabulum compoſitum eſſe conſtat. (b)

(a) Cum enim Grammatici non tantùm & Philoſophi, ſed ipſi etiam Jurisconſulti in inveſtigandis verborum ductibus ſemper fuerint curioſiſſimi, *Hering. de fidejuſſ. c.2. n.5* quippe quod, Ariſtotele monente, ad bene docendum vocabula primò excutere oporteat, vocisq; uſu cognito, ad ipſius rei provehamur cognitionem, *Scal. Exerc 1 Sect 1.* ideoq; non inconveniens erit, ut utiliſſimæ huic, ac in praxi præſertim perquàm uſitatæ, Litis denunciationis materiæ, vocis ejusdem præmittamus originem atq; explicationem.

(b) Compoſita autem eſt vox Litis denunciatio ex duobus ſubſtantivis, uno Litis, & altero denunciatio, propterea, quod is, qui eâ cum effectu aliquo juris uti vult, Litem, h. e. ipſum negotium ſeu controverſiam ab alio moram & in judicium deductam, *L. res in judicium 1. C. de Lit. conteſt.* Autori ſuo; i. e. ei, à quo cauſam habet, *L. Pomponius §. cum quis 1. ff. de acquir poss. L. autore 7. C. de evict.* denunciare ſeu indicare teneatur.

 Thes. II.

1156.

Thes. II.

Explicatâ vocis Etymologiâ, ejus quoque *Homonymiam* intactam relinquere non debemus, (a) ubi ambo illa vocabula, ex quibus technicum nostrum conflatum est, Lis (b) nempe & denunciatio, (c) variè in jure nostro usurpantur.

(a) Propter rationem, desumptam à necessario: Ecquis enim nescit, homonymias explicatione ambiguitatem tolli? Sine vocis autem ambiguæ distinctione ad perfectam rei considerationem & intellectum venire velle, nihil aliud esse, quàm tempus inaniter terere velle, autor nobis est *Galenus*, cujus assertioni etiam adstipulari videmus *Georg. Obrecht.* in eleganti suâ *de Transact.* Disputatione, ubi *Th.4.* neminem res intelligere posse statuit, nisi verba priùs bene cognoverit.

(b) Poslemus quidem varias hic enumerare Philologorum significationes vocisq; Litis acceptiones, sed missis iis, benevoloq; Lectore brevitatis studio ad *Varron: de Linguâ Latin: lib:6.* remisso, hoc loco tantùm pertractabimus illud, quàm variè nimirum vocabulum Litis inter JCtos præcipuè accipiatur; Et quidem (1) juridicè vox Litis sumitur pro ipsâ actione tàm Criminali, *L. in Senatus consultum 15. §.5. ff. ad SC: Turpil:* quàm Civili, & quidem tàm reali, quàm personali, *L. litis nomen 36. ff. de V. S. L. un: C. de Litis contest: L. properandum 13. in pr: C. de judic:* unde dicimus litem nobis cum aliquo esse, *L. lis nulla 4. ff. de judic:* Litem edere, Litem in judicium deducere, *L. si mater. 11. §. hoc jure ff. de Except: rei jud:* Liti renunciare, *L. desitisse 10. ff. de judic:* An autem litis vocabulo tàm ante, quàm post acceptum judicium uti possimus? In eo diversimodè judicant DD. juris Civilis; affirmativam tamen sententiam, ut probabiliorem, defendit *Hugo Don: in L. postquàm 4. n.24. C. de pact: & Zang: de Except: p.1. cap:1. n.16. & seqq:*

seqq: (2) etiam Lis in jure nostro significat instantiam, seu judicium ipsum. quod constat Judice, Actore & Reo, *d. L. properandum C. de judic: L. rem non novam 14. C. d. t.* (3) accipitur pro ipso negotio seu re ab alio motâ & in judicium deductâ, unde Lis dicitur æstimari, cùm quanti ea res est, quę in judicium venit, à judice æstimatur: Hinc etiam voculam rei & Litis sæpenumero in jure nostro conjunctim positam videmus, ita, ut, quod lis inofficiosi dicitur in *L. pater. 6. ff. de dot: collat:* postea res inofficiosi vocetur in *L. Papinianus 8. §. 2. ff. de inoff: test:* Et in hoc ultimo significatu etiam in materiâ nostrâ vocabulum Litis accipimus, ut nempe ipsum negotium seu litem ab alio motam & in judicium deductam denotet, quemadmodum supra *Th. 1. Lit: B in fin:* annotavimus.

(c) Vox denunciare, (ex præpos: de & verbo nuncio composita,) etiam diversas in jure habet significationes: aliquando enim idem, quod prohibere, *L. 1. in pr: & §. nunciatio. L. 5. §. 6. ff. de Op: nov: nunc:* aliquando verò idem, quod vocare significat; ita denunciare alicui testimonium, idem esse, quod aliquem ad dicendum testimonium vocare, colligitur ex *L. 4. & L. 19. § 1. ff. de testibus;* Interdum verò pro indicare seu deferre accipitur: Hinc quemadmodum Præsidibus crimen denunciare, h. e. indicare dicitur in *L. 7. C. de accus: L. 28. §. 5. ff. ad L. Apol:* ita etiam hic non incommodè dicere possumus, Litem alicui denunciare, seu indicare.

Thes. III.

Ad perficiendam Nominis Definitionem superest adhuc, ut Litis denunciationis *Synonymiam* (a) quoq; annectamus.

(a) Plurima autem Litis denunciationis Synonyma in jure nostro reperiuntur, quorum præcipua sunt 1. Laudatio; hinc litem alicui denunciare nihil aliud est, quàm autorem suum laudare, per text: in *L. Herennius 36 §. Gaja 1. ff. de Evict: & L. autore laudato 7. C. eod. tit.* hoc est titulum suæ possessionis dicere,

dicere, & autorem, à quo quis causam habet, nominare, *L. Pomponius 13. §. 1. ff. de A.P. d. L 7. C. de Evict:* 2. NOMINATIO, *L. 2. C. ubi in rem act: exerc:* quamvis inter nominationem & laudationem hæc intercedat differentia, ut autor laudetur ab eo, qui convenitur nomine proprio & sic pro domino possidet; econtra veró nominatio fiat ab eo, qui possidet nomine alieno, v. g. quando convenitur is, qui tenet rem conductam, vel depositam, vel commodatam, *Godofred: ad d. L. 2. C. ubi in rem act: exerc. deb. Manent: in Spec. Aur. p. 6. tit. de Nomin. autor.* ubi nominationis & laudationis differentiam latius deducit. 3. etiam dicitur DETESTATIO, per *L. 39. § 2. L. 40. & L. plebs 238. §. 1. ff. de V. S.* in quibus textibus omnibus detestationem per denunciationem describi videmus. 4. INTERPELLATIO; *L. 32. ff. de usur.* & 5. deniq; PRÆDICTIO, *L. fin. §. item si prædixerint ff. Naut. caup. stab. ut recept. rest.* Vid. *Bart. ad L. non solum 8. §. 6. ff. de oper. nov. nunc.* ubi adhuc plura, & quidem decem, nomina Synonymica Litis denunciationis enumerat.

THES. IV.

Definitioni Nominis ordine subjicimus *Definitionem Rei*, ubi Litis denunciationem definimus, seu potiùs describimus, per actionem (a) personalem, (b) quâ quis (c) vel ex provisione Legis, (d) vel hominis conventione expressâ, (e) ideò aliquem (f) in causâ Civili (g) coram eodem judice, (h) quó ipse pulsatus est, legitimè (i) convenire potest, ut ipsum adversus autorem defendat, (k) & nisi hoc faciat, omne damnum refundat. (l)

(a) Cum de ipso jure denunciandi, quod ab actu, seu facto denunciandi multùm distat, nobis hic agere propositum sit, ideoq; Litis denunciationem neq; cum *Socin. ad C. quoniam X. ut lit. non contest.* per actum describimus, neq; etiam nobis placet genus *Wesenb.* Litis denunciationem, seu nominationem autoris per exceptionem definientis, *in comment. ad L. 2. n. 2. C. ubi in rem act.* non tantùm propter rationem modò allegatam, sed etiam, quod Litis denunciatio neq; respectu ejus, cujus nomine possidet reus, neq; respectu rei conventi exceptio dici possit, quoniam per eam neq; differtur, nec penitus excluditur actoris intentio, sed hoc tantùm agitur, ut autor denunciatus ad assistendum reumq; defendendum in judicium vocetur, *L. venditor 49 ff. de Evict.* ad eum scilicet effectum, ut re evictâ, æstimationem ejus cum omni causâ recuperare queat, *L. venditores 120. ff. de V. O.* Sed potius in descriptione nostrâ generis loco usi fuimus vocabulo actionis: ubi tamen vocem actionis neq; pro quâcunq; operatione seu actione humanâ, ut in *L. 21. §. ult. ff. qui test. fac. poss. L. 3. §. pen. ff. de don. inter Vir. & Ux.* neq; pro accusatione Criminali, arg. *L. 4. C. de edend. L. un. C. quand. Civ. act. crim. prajud.* Sed potius pro jure agendi & petendi, quod nobis debetur, ut in *pr. & t. s. J. de act.* accipimus, per rationem, quod nimirum Litis denunciationi competat definitio actionis in *d. pr. J.* posita; Jam autem inter Topicos notissimum est, cuicunq; rei definitio competit, ei quoq; definitum non immeritò debere competere.

(b) Agnoscit enim litis denunciatio obligationem pro matre, & ex Contractu verò aut quasi contractu nascitur.

(c) Ubi per Pronomen, Quis, tàm Masculi, quàm Fœminæ indigitantur, idq; ex hac ratione, quod non tantùm Masculi & Fœminæ autoribus suis litem denunciare possint, *L. si pro re pupilli 22. §. 1. cum duabus LL. seqq. L. Herennius 61. §. Gaja ff. de Evict.* sed etiam, quod dictum pronomen apud Classicos autores promiscuè ad Marem simul & Fœminam extendatur, v. g. apud *Plautum,* ubi *in Aulularia*, dic mihi, inquit, quis ea est, quam vis ducere uxorem, & *Terentium in Eunucho*; Quandoquidem illarum neq; quisquam te novit.

 (d) Hisce

(d) Hisce verbis nihil aliud, quam Litis denunciationis materiam, ex quâ scilicet, tanquam ex fonte quodam profluit, significamus. Competit enim nobis Litis denunciatio aut propter expressam conventionem humanam, aut citra eam, solo Legis auxilio, ut in contractu emptionis venditionis, *L.16. pr. ff. de Evict. L.6. C. eod.* locationis conductionis, *L. item quæritur 15. §.7. ff. Locat. conduct.* & in aliis contractibus tàm nominatis, quàm innominatis, de quibus *Th.VI.* uberius agemus. Quamvis autem in dictis textibus primariò de evictione agatur, & ex iis hoc colligi possit, quod in contractibus relatis solo juris auxilio autores nostros de præstandâ evictione obligatos habeamus; *Treut. vol.2. Disp.2. th.5. Lit. C.* interim tamen cum Evictio & Litis denunciatio ad se invicem habeant ut consequens & antecedens, ita ut teste *Zang. de Except. p.1. c.2. n.10.* quibus in causis locum habet evictio, reus, sibi cautum esse cupiens, autorem prius laudare & nominare debeat; ideoq; ex iisdem textibus probare atq; colligere possumus, quod & quando Litis Denunciatio citra conventionem aliquam & ita solo Legis auxilio proveniat.

(e) Quamvis jure Romano emptores ad majorem securitatem stipulationibus sibi prospiciebant, & quidem in rebus vilioribus interponebant stipulationem simplæ, quâ emptor præter simplum rei pretium nihil consequebatur, arg. *L.43. ff. de Evict.* in pretiosioribus verò duplæ, quâ duplicatum repromittebatur pretium, *L.37. §.1. L.56. ff. d. tit. Treut. vol.2. Disp.2. th.6. Lit. B. & C. Wesenb. in paratitl. ff. de Evict. n.3.4. Schotan. in Exam. jurid. d. tit. p.536.* Hodie tamen ejusmodi stipulationes contrariâ fori observantiâ penitus in desuetudinem abierunt, & contrahentes loco prædictarum stipulationum certis conventionibus aut pactis, in continenti adjectis, uti solent, v.g. in emptione venditione hoc potissimum adjicitur pactum, Das nehmlich der Verkäuffer gegen männigliches an- und Zuspruch dehn Käuffer vertreten / und das verkauffte stück Guts gantz frey und unbeschweret wie Rechtens gewehren wolle. Prospicimus autem nobis de Evictione & consequenter

etiam

etiam de Litis denunciatione, per conventionem expressam tribus potissimum in casibus, quorum primus est, quando jus planè deficit, ut in donationibus, in quibus evictionem, nisi expressis verbis sit promissa, nemo præstare tenetur, *L.2. C.de Evict.* secundus casus est, quando jus dubium & incertum est; Et tertius deniq; quando penitus quidem manifestum & absolutum est jus, ut in contractibus, de quibus *Th.VI.* nihilominus tamen, non tàm securitatis, quàm majoris certitudinis gratiâ de evictione convenitur.

(f) Et sive Masculus sit, sive Fœmina, per ea quæ ad hanc ipsam *Thes. in Lit. C.* fuerunt annotata.

(g) Addimus in Descriptione nostrâ, in Causâ Civili, ad differentiam Causarum Criminalium, in quibus litis denunciatio non obtinet, *Bald. in auth. quâ in provincia C. ubi de crim. agi oport. n.11 Marant. in Spec. part.6. membr. 6. de Nomin. autor. n 8. Berlich. d. concl.24. n.77.* Neq; conventus ex delicto juvatur, etiamsi autorem suum indicare & nominare velit, unde etiam vulgatum illud promanavit dicterium, Wehrmann haben/ hilfft nicht; *Schneid. §. injuria n.5. Inst. de Injur. Carpz. Resp. Jur. Lib 2.Tit.5.Resp.62. n.9.*

(h) Ut infr. *Th X. sub Lit. A. & B.* latius dicetur.

(i) Pro formâ igitur Litis denunciationis requiritur, ut fiat legitimè, hoc est, adhibitis certis quibusdam requisitis atq; solennitatibus, de quibus infrà *Th.X.*

(k) Et in hisce verbis exprimitur finis Litis denunciationis, cujus uberiorem tractationem reservabimus *Thes. XI.*

(l) Quemadmodum etiam finalia hæc definitionis verba effectum Litis denunciationis innuunt, ut ex *Th. fin.* videri poterit.

Thes. V.

Dividitur Litis denunciatio in Legalem & Conventionalem. (a)

 (a) Alii

(a) Alii aliter Litis denunciationem dividere solent, ut *Sigism. Scacc. de Judic. Lib. 1. qu. 54. n. 3. & seqq.* & *Jacob. Cujac. Lib. 5. Obs. 31.* eam distinguunt in Judicialem & Extrajudicialem. *Althus. in Dicæol. Lib. 3. c. 14.* Litis denunciationem aliam facit voluntariam, aliam necessariam; sed quoniam nominis potius, quàm rei distinctiones sunt, & non tam jus, quam modus denunciandi extrajudicialis dici meretur, ideoq; (salvâ tamen tantorum Virorum autoritate,) à materiâ, ex quâ fluit, Litis denunciationem potius in Legalem, quam nobis immediaté Lex, & Conventionalem, quam tribuit Conventio humana, distinximus.

Thes. VI.

Locum autem habet Litis denunciatio non tantùm in Emptione venditione; (a) sed etiam (b) in Permutatione, (c) & aliis Contractibus innominatis, (d) item in datione in solutum, (e) divisione factâ inter coheredes, (f) Locatione conductione, (g) Transactione, (h) Cessione nominis, (i) Dotis constitutione, (k) item in Re Feudali, cum consensu Domini & proximorum Agnatorum alienatâ, si reliqui protimiseos jure revocare velint, (l) & deniq; in Concursibus creditorum, (m) nec non in Mandato. (n)

(a) *T. T. ff & C. de Evict.* Et hoc in tantum verum est, ut licet in ipso emptionis venditionis contractu nullum verbum de evictione factum sit, nihilominus tamen ex solâ naturâ

contra-

contractûs subintelligatur tam evictio, quàm ejus antecedens necessarium, nempe Litis denunciatio, per *L. non dubitatur 6. C. de Evict.*

(b) Quamvis igitur non negemus, evictionem vel Litis denunciationem principaliter in contractu emptionis venditionis fuisse receptam, *Casp. Caball. de Evict. §. 4 n. 1.* interim tamen cum emptionis vocabulum omnem contractum, per quem inducitur rei alienatio, complectatur, *L. statu liberi 29. §. Quintus Mucius 1. ff. de statu lib. L. veteres 19. ff. de act. empt.* negari non potest, eandem etiam in aliis contractibus atq; negotiis locum habere, prout hoc ipsum sub *literis subsqq.* latius deducemus, in antecessum pro Regulâ interim tenentes: Quotiescunq; aliquis tenetur rem facere accipientis, toties quoq; evictio, & per consequens etiam Litis denunciatio locum habet, *Casp. Caball. d. tract. § 4 n. 9. vers. Regula enim est.*

(c) Per *L. si permutationis 29. ibi: postea quam ad defensionem fuerit denunciatum, C. de Evict. L. 1. § 1 ff. de Rerum permut. & L. 1. C. eod. tit. Dec. cons. 251. n. 1. vers. & quod dicitur. Caball. d. §. 4. n. 43.* Permutatio enim vicem emptionis obtinet, *L 2. C. de Evict.* & est similis venditioni, *L. ult. ff. quibus ex caus. in poss. eatur.* Cum igitur æquiparatorum eadem sit ratio & quando duo æquiparantur à Lege, quicquid statuitur in uno, etiam intelligitur statutum in altero, *Gloss. fin. in L. si quis servo persvaserit, ibiq; Bart. & DD. C. de furt.* ideoq; sicuti in emptione venditione; ita etiam in permutatione Litis denunciationi locus dabitur.

(d) Arg. *L. naturalis meus 5. § at cum do vers. sed si dedi ff. de præscript. verb.* Eadem enim, quæ in nominatis, etiam in innominatis contractibus decidendi subest ratio, ut nimirum contra autores possit haberi regressus, ergo etiam idem jus statuendum erit, per *L. 32. ff. ad L. Aquil. L. 108. ff. de V. O. Carpz. in J. For. p. 1 Const. 3. Def. 25 Berlich. p. 1. concl. 24. n. 49.* ubi complures alios adhuc allegat, qui ibidem videri poterunt.

(e) Motâ igitur Creditori controversiâ, super illâ re, quam in solutum accepit, quin autori suo litem denunciare queat, ambigendum non est, propter textus *L. si prædium 4. C.*

de Evict. L. eleganter 24. pr. ff. de pign. act. per rationem adjectam in *d. L. 4. C. de Evict.* quod scilicet datio in solutum venditionis vicem obtineat, & quasi emptio sit, *L. fin. ff. ex quibus caus. in possess. Don. ad d. L. 4. Umm. in Disp. ad Process. 11. th. 27. Schotan. in Exam. Jurid. Tit. de Evict. p. 538. Coler de process. Exec. p. 8. c. 9. n. 61. Habn. in Observ. theor. Pract. ad paratitla Wesenb. de Evict. n. 10. in verb. contraria Evictioni.* (Dissent. *Spec. in Tit. de Empt. & vendit. §. nunc dicendum vers. sed pone statutum*, quem refert & sequitur *Alexand. cons. 76. Lib. 5.* Vid. *Casp. Caball. d. §. 4. n. 42.* ubi ad argumenta contraria respondet.)

(f) Factâ igitur hereditatis divisione, heres coheredi ad hoc obligatus est, ut si ipsi ratione rei ex hereditatis divisione acceptæ, lis moveatur, litis denunciationem patiatur & ipsum postea adversus invasorem suum defendat, *L. si fratres 7. C. commun. utriusq. judic.* Ubi tamen distinguendum est, inter hereditatis divisionem factam à Testatore ipso, & inter eam, quæ à partibus fuit facta; In illâ enim, quemadmodum heres coheredi suo ad Evictionis præstationem non tenetur, ita nec ad eum defendendum per Litis denunciationem cogi poterit; *Umm. d. Disp. 11. th. 27.* In hâc verò sicut evictioni, ita etiam Litis denunciationi locus erit, per rationem, quod divisio à partibus facta vicem permutationis obtineat, per *L. communi dividundo 7. §. Si debitor 13. ff. commun. divid. Caball. d. §. 4. n. 11. vers. coheres tenetur.* Et ampliatur Regula nostra procedere tàm in extrajudiciali hereditatis divisione, quàm in eâ, quæ à judice facta fuit, *L. si familiæ 14. C. famil. ercisc. Caball. d. §. 4. n. 51. vers. coheres. ibi:* quod procedit etiamsi à judice sit facta divisio. *Berlich. sæpè dictâ concl. 24. n. 55.* Limitatur tamen (1) quando hoc expressè actum est, ne alter coheredum alteri nomine hereditatis divisionis teneatur, *d. L. si familiæ:* Provisio enim hominum facit cessare provisionem legis, *L. fin. C. de pact. convent. L. 21. C. de procur.* (2) quando dividentes rem controversam evictionis periculo subjacere tempore factæ divisionis sciverunt, quippe quod inter scientes de Evictione actio non detur, *L. si fundum C. de Evict. L. si fratres C. commun. utriusq. judic.* & (3) denique, quando evictio ex naturâ rei seu qualitate,

ipsi

ipsi rei inhærente, contingit, *d. L. 14. C. famil. ercisc. verb. pro parte, circa med.* Bald. *ibid. n. 7.* Vid. *Caball. d. loc. Berlich. concl. 24. n. 56. & seqq.* ubi plures adhuc limitationes recenset, ultimamq; nostram duobus elegantissimis exemplis illustrat.

(g) Quotiescunq; enim conductores aut à veris Dominis locatæ rei, aut ab aliis molestantur, toties Locatoribus suis litem denunciare valent, *L. si quis domum 9. pr. & L. item quæritur 13. §. exercitu 7. ff. Locat. Zanger de Except. p. 2. c. 2. n. 9. vers. aliud exemplum.*

(h) Per L. *si profundo 33. C. de transact.* Ubi tamen ex receptissimâ DD. sententiâ distinguendum est inter illum casum, ubi transactionis nomine aliquid datum, & inter eum, ubi aliquid dimissum est nomine transactionis; ita ut illo quidem casu quemadmodum evictio, ita etiam Litis denunciatio obtineat; hoc verò casu non itidem, per rationem traditam à *Cass. Caball. d. §. 4. n. 46.* quod scilicet casu posteriori non id actum sit, ut ejus fundi dimissi dominus fieret, sed ut penes se qualiscunq; Dominus dimitteretur, & impossibile sit, evinci aliquid, ubi nihil datum vel translatum est, ut proinde nec litis denunciatio locum habere possit. *Carpz. Resp. Jur. Lib. 3. tit. 2. Resp. 18. n. 18.* Vid. *Umm. Disp. 11. th. 27. Hartm. Pist. obs. 227. n. 1. & seqq. per tot. Berlich. concl. 24. n. 45.* Ubi *n. 46.* Advocatis, Clientulis suis in transactionibus ritè consulere volentibus, insignem cautelam subministrat.

(i) Quod igitur Cessionarius cedenti quoq; litem possit denunciare, tradit *Berlich. d. concl. 24. n. 51. & seqq.* cum multis aliis, ibidem allegatis. Sed hoc non aliter verum est, quàm si Cessionario de veritate nominis cessi moveatur controversia; Cedens enim nomen, debitorem tantùm præstare cogitur, hoc est, quod verum & liquidum sit debitum; at idoneum debitorem præstare non tenetur, per text. express. in L. *si nomen 4. ff. de hered. vel act. vendit. Bald.* ad L. *pro debito 6. C. de bon. autor. Jud. possid. Hartm. Pist. Obs. 212. n. 21. Carpz. in I. F. p. 2. Const. 34. Def. 26. n. 1.* nisi cedens sciverit cessum debitorem non esse solvendo, *Berlich. d. concl. 24. n. 50. vers. modo cedens*; aut aliter inter cedentem & Cessionarium fuerit conventum, *d. L. 4.*

quo

quo tamen casu sufficit, si debitor cessionis tempore idoneus fuerit, postea enim periculum cessionis transit in Cessionarium, *Carpz. d. Def. 26. n. 4. & seqq. Richt. part. 1. Decis. 36, n. 21. & seqq. Hahn. in observat. ad particula Wesenb. tit. de Evict. n. 10. in verb. contraria evictioni,* ubi hanc materiam satis nervosè pertractat.

(k) Ideoq; si Marito super re in dotem datâ controversia mota fuit, tàm uxori, quàm alii, qui rem in dotem dedit, Litem rectè denunciat, per *L. rem in præsenti 1. §. & ut plenius 6. C. de rei uxor. action. junctâ L. evictâ re 1. C. de jure dot.* ita tamen, ut si ab extraneo dotis constitutio provenerit, distinguendum sit, utrum dos à promissione, an verò à traditione inceperit: quando enim à traditione incepit, neq; evictio, nec Litis denunciatio habebit locum, econtra verò quando incepit à promissione, denunciationi omninò locus dabitur, per rationem traditam *à Cast. Caball. d. § 4. n. 7.* Quod si verò constitutio dotis provenerit ab uxore, aut alio, qui dotare obstrictus est, tunc utroq; casu non tantùm evictio, sed etiam Litis denunciatio obtinebit, arg. *L. si pro re pupilli § 1. ff. de Evict.* nisi scienti Marito res aliena in dotem data fuerit, *Bart. & Sichard. ad* L. 1. C. *de jure dot. Richt. d. Decis. 36. n. 33.*

(l) Quod tamen non simpliciter, sed sub eâ potius distinctione intelligendum puto, quæ traditur *in C. 1. de invest. de re alien. fact. 2. F. 8.* ut nimirum distinguendum sit, utrum emens rei qualitatem feudalem sciverit, an verò eandem ignoraverit, ita ut posteriori casu, quemadmodum de evictione agere, sic etiam Litem rectè denunciare possit; priori verò non itidem; cum sibi imputare debeat, cur emerit rem talem, de cujus jure sciebat, aut certe scire debebat, ejus non esse commercium sine Domini & Agnatorum consensu, *Hartm. Pist. Lib. 2. qu. 10. Vultejus de Feud. Lib. 1. n. 45.*

(m) Quando ergò aliquis ex Concursu Creditorum emit prædium aliquod, & nonnullis Creditoribus pretium ejus exsolvit, potest emptor, ab aliis Creditoribus, privilegium prioritatis prætendentibus, conventus, reliquis Creditoribus, qui pecuniam acceperunt, litem denunciare ad hoc, ut sui defensio-

fensionem in se suscipiant, & jura prioritatis contra reliquos Creditores deducant. Vid. *Berlich. d. concl. n.67.*

(n) Titius igitur ex mandato & jussu Mævii cum Sempronio contrahens, aut aliud aliquid agens, si à Sempronio ex illo contractu postea conveniatur, quin Mævio, tanquam Domino Mandanti, litem rectè denunciare possit, ambigendum non est, per tradita *Mavant. in spec. membr 6. de Nomin. autor. n.8. Zanger. de Except. p.2. c.2. n.9. & Berlich. d. concl. 24. n.43, 44.* qui etiam plures adhuc allegat contractus atq; negotia alia, in quibus Litis denunciatio sibi locum vendicat, ut in Emphyteusi, litis æstimatione solutâ, in jure patronatus &c. Vid. etiam *Cast. Caball. d. §. 4. n.47. 48. & 53. cum seqq.*

Thes. VII,

Non autem obtinet Litis denunciatio in donatione, (a) Legato speciei, (b) in venditione cum Judæo celebratâ; (c) item, si Creditor pignus distrahat, quod ab alio postea vindicatur, (d) & deniquè, si universitas hereditatis vendita & postea res quædam singulares litigiosæ efficiantur, (e) nec non aliis in casibus. (f)

(a) In quibus contractibus atque negotiis Lis denunciari possit, per positionem egimus Thesi præcedente; nunc per remotionem quoq; de iis tractabitur, in quibus Litis denunciatio non habeat locum. Ubi se ante omnia offert donatio, ita ut pro regulâ ferè decantatum sit inter JCtos: Quando alienatio fit ex causâ lucrativâ, quemadmodum de evictione agi non potest, ita quoq; tunc Litis denunciationi minimè locus relinquitur; *Berlich. concl 24. n.63.* per rationem, quod iniqvum planè esset, aliquem ex liberalitate suâ incommodo affici, *L. pr. ff. de Ædil. Edict.* jam autem insigni afficeretur incom-

 modo

modo donator, si ipsi Lis denunciari, & hac ratione ad donatarium defendendum in judicium trahi posset; Fallit tamen Regula nostra, primò in donatione remuneratoriâ; Remuneratoria enim donatio magis dationi in solutum, quàm simplici donationi similis est; *Caball. §.4. n.5.* & deniq; in casu, quo evictio à donatore expressè fuit promissa, per *L.2. C. de evict.* ob rationem, quod nempe contractus ex conventione legem accipiant, *L.1. §. si convenit ff. deposit.* & provisio hominis deroget provisioni Legis, *L. fin. C. de pact. convent.* Vid. *Umm. disp. ad process. 11. th.7. n.26.*

(b) Quando igitur quæritur, an in Legato litis denunciatio locum obtineat, distinguendum erit cum *Accurs. in L.2. C. de Evict. Cyn. in L. 10. C. de Legat. Jason. in L. si domus §. de evictione ff. de Legat. 2. n.10.* inter Legatum generis, & inter legatum speciei, ita ut in illo litis denunciatione opus sit, in hoc verò non itidem, nisi Testator scivit, rem illam singularem, quam legávit, alienam esse; quo casu æq;, ut in legato generis, locum habet litis denunciatio. *Umm. d. Disp. 11. Thes. Berlich. concl. 24. n.64. & seq.*

(c) A Judæo enim rem emens, sibi imputare debet, si conveniatur à Domino; **Landtr.** *Lib.3. art.7.* **Weichb.** *art. fin. Matt. Coler. Decis. 26. n.2. p.1. Zobel. p.2. diff.3. n.1. & seqq. per tot.* Et hoc, quod de Judæi contractu diximus, etiam non incommodè ad milites inferioris ordinis, belli tempore equos vendentes, transferri posse statuo, ut scilicet eâdem quoq; ratione evictioni & litis denunciationi locus non detur, idq; odio emptorum, qui ex vilitate pretii de legitimo adquisitionis titulo nunquam non dubitare possent. Vid. **der Reiter bestallung** *de anno 1570. art.93.* & faciunt ea, quæ habet *Magnif. Dn. Carpz. in J. F. p.4. Const.35. Def.8. & 10.*

(d) Videatur *Dn. Berlich. concl.24. n.74.* cum pluribus aliis ibid. allegatis.

(e) *Gloss. Latin. ad text. german.* **Landtr.** *Lib.7. art.30. in verb. sed promissionis, post pr.*

(f) Quo

(f) Quo referimus (1) eum casum, ubi evictio contingit ex facto Principis, per *L. Lucius ff. de Evict.* Factum enim Principis inter casus fortuitos, insolitos reputatur; *Johann. Baptist. Cost. de ration. rata qu.136.* nisi forsan factum illud Principis ob culpam venditoris provenerit, *Bart. in L. stipulatio ista collat. ult. in fin. ff. de V. O. Carpz. Resp. Jur. Lib.5. tit.6. Resp.46. n.10.* (2) Etiam huc referri potest casus futurus, ac venditione perfectâ demum superveniens, v.g. si res vendita à Magistratu pro necessitate Reipublicæ novis oneretur contributionibus, quod enim emptor adversus venditorem hoc nomine agere & ipsi desuper litem denunciare nequeat, tradit *Carpz. in J. F. p.2. Const.34. Def.19. & d. tit.6. Resp.55. n.5. & seqq.* Et quamvis longè plures dentur casus, in quibus Litis denunciatio minimè obtinet, interim tamen cum ii omnes satis eleganter fuerint traditi atq; enumerati à *Matth. de Afflict. in tit. quibus mod. feud. amitt. §. rursus si fideles*, ubi quadraginta duos recenset, & *Caball. d. §.4.* ubi quinquaginta enumerat, ideoq; benevolum Lectorem studio brevitatis eò remittere placet.

Thes. VIII.

Hactenus de Contractibus atq; negotiis, in quibus Litis denunciationi locus datur, & in quibus non; Consequens igitur est, ut de *personis* quoq;, quæ Litem denunciare possunt, agamus: Ubi pro Regulâ traditur, omnes (a) litem denunciare posse, qui non in specie prohibentur. (b)

(a) Circa hanc Thesin in genere sciendum est, non quemvis possessorem & detentorem, qui alieno nomine possidet, sed eum tantùm, qui proprio ac suo nomine tanquam Dominus rem tenet, hic accipi, & consequenter litem denun-

ciare posse, & quidem non aliter, quàm si lis ei cum effectu mota sit, per *L. si parentes 20.* ibi & quæstio dominii mota est, *L. sive possessio 14. L. 24. C. de Evict.* unde etiam Definitioni, supra positæ, non immeritò vocabulum PULSATUS inseruimus; innuentes, ad hoc, ut quis litem denunciare possit, non sufficere interpellationem aliquam extrajudicialem; sed requiri potius, Litem denuncianti realiter motam & actionem contra ipsum instituram esse, *Carpz. Resp. Jur. Lib 5. tit. 8. Resp. 44. n. 7.* Ubi tamen parum interest, sive (1) Masculus sit, sive Fœmina, qui, quæve Litem denunciat, supra *Th. IV. Lit.* (c.) ita tamen, ut fœminâ denunciante, juxta dispositionem Juris Saxonici & provincialis Magdeburgensis, Curatoris interveniat autoritas, *art. 44. & art. 46. Lib. 1.* Landtr. *art. 65. libr. 2.* Landtr. Churfl. Magdeb. P. O. *c. 13.* (2) Sive Majorennis sit, sive Minorennis, *L. minor 39. pr. ff. de Evict.* Et (3) deniq; sive ipse ex suo facto aliquem ad defensionem litis adstrinxerit, sive jure primi, qui id fecit, utatur: Sic non tantùm à primo contrahente; sed etiam ab heredibus ejus, qui primò contraxit; aut cui aliàs jus denunciandi competiit; optimè lis denunciari potest ac debet, *L. sed & 23. & L. si ei 41. ff. d. tit.* Imò & Cessionario litis denunciandæ necessitatem certis casibus competere, supra *Th. VI. Lit.* (*i.*) fuit ostensum.

(b) Quicunq; igitur litem denunciare non prohibentur; illis ea facultas debet videri permissa, arg. *L. mutus 43. pr. ff. de procur.* Prohibentur autem quidam à Naturâ, quidam à Lege. Et quidem à naturâ prohibentur ii omnes, qui contrahere nequeunt, ut amentes, furiosi, per *L. 1. §. furiosum ff. de O. & A.* item infantes & alii, in *d. L. 1.* relati. Sed quid de pupillis dicendum? Illos autoritate tutorum rectè litem denunciare posse, probat *L. si ideo 53. ff. de Evict.* Lege autem prohibentur non tantum ii omnes, qui de Evictione agere nequeunt & de quibus *Th. praced.* uberius diximus, sed etiam imprimis ii, qui scientes rem alienam alterive obligatam acquisiverunt, per text. *L. si fundum 27. C. de Evict. L. 7. C. commun. utriusq; judic. cap. un. de invest. de re alien. fact. 2. F. 8. Facbin. 2. controv. c. 20. in pr.*

quod

quod in tantum verum est, ut nec is, qui sciens rem alienam emit, eâ evictâ ad pretii restitutionem actionem habeat, nisi aliter pactum sit atq; conventum, *d. L. 27.* Diss. *Cujac. ad d. L. 27.* Vid. tamen *Fach. d. loc. & Illmm Disp. II. Th. V. n. 16.* ubi ad argumenta contraria respondent.

Thes. IX.

Lis autem denunciari potest ac debet non tantûm ipsi autori, (a) etiam in judicio præsenti, (b) ac litem moveri scienti, (c) & quidem, si plures sint autores, non uni tantùm, sed omnibus: (d) Imò ipsius etiam autoris heredibus, (e) nec non fidejussoribus. (f)

(a) Autor autem dicitur ille, à quô causam habet reus conventus, per L. *Pomponius §. cum quis ff. de acquir. poss.* Et sive Masculus autoris loco sit, sive fœmina, utriq; tamen lis denuncianda est: Neq; sufficit in casu, quo res aliqua sæpius est vendita, aut aliô titulo translata, ut ultimus tantûm emptor suo autori litem denunciet, sed potius ad hoc, ut primus venditor teneatur, necesse est, quemlibet suo venditori litem ritè denunciare, donec ad primum venditorem perveniatur; Alias enim ille venditor, cui non est denunciatum, non tenebitur, licet aliis facta sit denunciatio, arg. *L. qui concubinam 29. §. si heres 3. ff. de legat. 3. L. si res 59. ff. de Evict. Sichard. in C. ad L. emptor. 8. de Evict. n. 7. Schneidew. in §. actionum 28. J. de action. rubr. de action. ex empto n. 52.* & hoc in tantum verum est, ut etiamsi per mille manus res ambulaverit, semper tamen immediatô autori facienda sit litis denunciatio, *Cardin. Tusch. concl. 353. n. 7. & 8. Lit. E.* Et ita sub meæ paucitatis patrocinio ante anni, aut quod excurrit, spatium in Illustri Regimine Magdeburgensi ad quintum usq; gradum Litis denunciatio-

nem processisse memini; Fallit tamen regula modo dicta, atq; mediato etiam autori lis denunciari potest, quando immediatus omnia sua jura & actiones expresse cessit, eumq;, cui controversia aut lis mota fuit, Procuratorem in rem suam constituit, *Sigum. Scacc. lib.1. de judic. cap.3. n.11.*

(b) Per *L. si ideo 55. §.1. ibi. sive autem absit, sive præsens sit, ff. de Evict. Wesenb. in* L.1. C. *ubi in rem agi oport. n.31.* Ad hoc enim, ut denunciationi satisfiat, non sufficit nuda autoris in judicio præsentia, sed insuper etiam necesse est, ut instructus adsit, litiq; motæ adsistat, *L. cum successores 23. C. de Evict.* L. *venditor 49. ff. de judic.* L.1. C. *de peric. & commod. rei vend.* quod si tamen autor ideo in judicio comparuit, quoniam unà cum possessore propter rem controversam in judicium vocatus est, tunc ulteriori denunciatione haut opus est, *Caball. de Evict. §.3. n.93. Dn. Frantzk. in Comm. ff. tit. de Evict. n.659.* Vid. etiam *Carpz. Resp. Jur. Lib.3. Resp.16.* ubi *n.8.* elegantem hujus assertionis adducit rationem.

(c) Etiamsi igitur venditor aliusve autor emptori suo litem moveri sciverit, nihilominus tamen ipsi adhuc lis denunciandaest, nisi reus conventus omnem penitus perdere velit regressum, non tantùm propter text. express. in *L.56. §.4. ff. de Evict.* sed etiam, quod L.8. L.17. & L.20. *C. de Evict.* quæ omnes emptoribus Litis denunciandæ necessitatem imponunt, generaliter loquantur, neq; inter scientem & ignorantem autorem distinguant; Lex autem generaliter loquens, generaliter etiam est intelligenda, arg. *L 1. §. generaliter ff. de legat. præstand.* L.7. *ff. de public. in rem act.* Et ubi Lex non distinguit, nec nostrum est distinguere, *L.32. ff. de recept. arbitr.* L.3. *ff. de offic. Præsid.* quibus & illa adhuc accedit ratio, quod nempe denunciatio non tam eo fine fiat, ut autor litem moveri cognoscat, (quo casu sciens amplius certiorari nequit, *L.1. pr. ff. de act. empt. c. eum qui de R. J. in 6to*) quàm ut adigatur atq; incitetur ad veniendum litiq; adsistendum & emptorem suum in judicio defendendum, *Bart. in L. denunciasse 17. §. quid ergo 1. ff. ad L. Jul. de Adult. coerc. Casp. Caball. d. §.3. n.1. & seqq. Motz. de contract. Rubr. de natur. empt. vend. n.3. Schneid. ad §. actionum 28. J. de*

action,

ction. Rubr. de Act. ex empto n.48. Andr. Fack. Lib.2. controv.38. sub fin. qu.3. vers. quod attinet. Modest. Pist. vol.1. Cons.24. qu.3. n.34. quomodo enim aliàs, & si non interpellatus fuerit autor, scire poterit, an emptor à se causam suscipi velit, nec ne? *Don. de Evict. c.5. p.226.* cum non teneatur irrequisitus invito forsan suam obtrudere operam, *Don. in L.8. C.h.t. n.11.* Fallit tamen modo dicta regula quando autor, sciens litem motam, in judicio comparuit fuitq; unà cum emptoris Advocato in judicio præsens, ac dedit ipsi informationes, *Matth. de Afflict. in C.1. si de feud. Vasall. ab aliquo interpellatus fuer. 2. F.25. n.4. Casp. Caball. d. §.3. n.44.* ubi hanc allegat rationem, quod nimirum in casu præsenti cesset causa denunciationis, ut scilicet autor, sponte se defensioni offerens, ulterius invitetur; cessante autem causâ, cessat quoq; effectus, *c. cum cessante X. de appell.* Sed quid de auctore Minoris, eoq;, qui se defensioni adfuturum juravit, dicendum erit, utrum illis, etiam scientibus, adhuc lis erit denuncianda? Negat hoc quoad auctorem Minoris *Caball. d. §.3. n.102.* per text. in *L. minorum 3. C. in quib. caus.* sed quoniam minores ex allegatâ *L.3.* hoc singulare habent, ut ipsis ratione solutionis faciendæ ex re mora contrahatur; duo autem singularia circa unam rem non indulgeantur, *L.1. C. de dot. promiss. L.19. ff. ex quibus caus. m.13. L.73. ff. de condit. & demonstr.* ideoq; ex *d. text.* hoc amplius colligendum non est, ut scilicet minores ab ulteriori litis denunciatione liberentur, præsertim cum hâc in re destituamur lege expressâ, sine quâ aliquid asserere meritò erubescere debemus, *Nov. 18. c.5. Wesenb. in comm. ad L.1. C. ubi in rem n.19. Umm. Disp.11. Th.VI. n.20.* Quemadmodum etiam ei, qui defensioni se adfuturum juravit, nihilominus adhuc lis denuncianda est, non tantùm propter text. *c.1. §. ad hæc 2. F.28. & 2. F.27. in fin.* ubi Vasallus, etiamsi Domino fidelitatem juraverit, irrequisitus tamen servitia non præstat, sed etiàm, quod juramentum induat naturam contractûs, cui accedit *L. ult. C. de non num. pec. c.25. X. de jurejur. Burgund. de Evict. c.54. n.2.* & alii, quos refert & sequitur *Frantzk. ad Tit. ff. de Evict. n.663.*

(d) Quod si igitur plures sint autores, v. g. quando duo socii rem communem vendiderunt, tunc non uni tantum denuncia-

nunciare sufficit, sed ambobus lis denuncianda erit, per text. *L. si rem 62. § 11. ff. de Evict.* Et est ratio, quod quilibet eorum pro suâ ratâ receperit pretium, ergò etiam quilibet pro suâ parte defensionem in se suscipere tenebitur, *Andr. Gail. 2. Obs 14.* ubi ita in Camerâ conclusum esse tradit. *Emm. à* Roßbach *in prax. Civ. tit 28 n.11.*

(e) Per *L. si per imprudentiam 51. §. 1. L. si rem 62. § 1. ff. de Evict. L. emptore fundi 8. cum L. seq. L. si ob causam 13. L. 23. auctoris heredibus, quocunq; gradu constitutis, adsistere negotio denuncia C. de Evict. Schneidew. in §. actionum 28. Rubr. de action. ex empto 7. de act. n. 50. Francisc. Viv. Lib. 3. Decis. 510. n. 5.* Et quidem, si plures fuerint heredes, omnibus & singulis lis denunciari debet, aliàs enim emptor, seu reus conventus, contra non denunciatos regressum non habebit, *Paul. de Castro in L. 85. ff. de V.O. n. 9* quem refert & sequitur *Dn. Berlich. d. Con. 24. n. 32.* Sed quid si hereditas nondum fuerit adita? Tunc hereditati jacenti ad rem vel pretium recuperandum denunciari debere, tradit *Castrens. cons. 240. Effectus primi dubii lib. 1. Marant. p. 6. membr. 5. tit. de Laudat. n 14.* Utrum autem in casu, quo pupillus aut ipse autor, aut heres autoris est, & tutori denunciari nequit, reus conventus se excusare possit, quasi non extitisset, cui denunciari potuisset? Affirmat hoc *Dn. D. Wirth,* Præceptor quondam meus honoratissimus, nunc beatè defunctus, *in Collegio Treutl. vol. 2. Disp. 2. Th. 7. in verb. si heres sit pupillus,* idq; ex eâ ratione, quod nimirum potior sit causa rei conventi, qui certat de damno vitando adversus pupillum, contra naturalem æquitatem locupletari volentem, *L. 14 ff. de condict. indeb.*

(f) Quando igitur autor principalis evictionis nomine certos dedit fidejussores, ipsis etiam fidejussoribus lis denunciari potest, per *L. autore laudato 7. C. de Evict.* quod tamen ita intelligendum est, ut reus conventus ad hoc præcisè non adigatur, sed liberum potius ipsi sit, utrum fidejussoribus, an verò autoribus principalibus litem denunciare malit, *Don. ad d. L. 7. n. ult. Umm. in Disp. 11. Th. 6. n. 18.* & quidem si fidejussoribus denunciatum sit, & illi indemnes esse velint, ut iis, pro quibus fidejusserunt, rursus denunciare teneantur. De Procuratore

hic

hic non immeritò quæritur, an illi quoq; cum effectu Lis denunciari possit? Et resp. quod non, sive etiam omnium bonorum, sive alicujus partis constitutus sit procurator, per *L. mora 32 §.1. ff. de usur. L. item veniunt 20. §. petitam 11. ff. de hered. pet.* Vid. *Ilmm. d. Th.6. n.18.* ubi tamen aliquot limitationes adducit.

Thes. X.

Ad *formam* Litis denunciationis pertinet non tantùm, ubi, & coram quo Judice, sed etiam quomodo, & quando Lis denunciari debeat: Et quidem Lis denuncianda est judicialiter, (a) coram Judice Rei conventi, (b) tàm ante, quàm post Litem contestatam, (c) requisito nempe ad defendendum autore, (d) eiq; simul citationis, Libelli aliorumquè actorum copiâ transmissâ. (e)

(a) Non igitur extrajudicialis Litis denunciatio ad effectum, quem Litis denunciationi attribuimus, sufficit, sed, in judicio potius fiat, necesse est, arg. *L. de pupillo 5. §. meminisse 10. ff. de Oper. nov. nunc.* idq; ad exemplum aliarum actionum, quæ in judicio proponendæ sunt, *§.3. J. de pæn. temerè litig. L. ult. C. de exhib. vel transfer. reis.*

(b) Per *L. venditor 49. pr. ff. de Judic.* cujus ratio extat in *L.30. ff. d. t.* quod nimirum ibi finem debeat accipere judicium, ubi semel inceptum est: Hinc tàm propter continentiam causæ & ne lis in aliud trahatur forum, *Bach. ad Treut. vol.2. Disp 2. Thes.8. Lit.A. in verb. in foro rei conventi*; quàm ob naturam defensionis, arg. *L. minor. 51. §.1. L. sed & 35. §. non solùm ff. de Procur.* autor denunciatus, forum rei conventi declinare non

 potest,

potest, nec exceptionem declinatoriam opponere, Fürstl. Magdeb. P. O. c.14. §. Wann aber *denunciat, ibi:* und se ne *Exceptio Declinatoria* stat haben. Et hoc in tantum verum est, ut nec Clericus denunciatus forum Judicis secularis declinare valeat, idq; propter generalitatem text. in *L. venditor. 49. ff. de judic.* ubi in genere agitur de venditore, diciturq; cum fori declinatoriâ, etiamsi ipsi ex privilegio competat, contra denunciantem tamen uti non posse; Jam autem, quicquid juris statuitur in genere, illud etiam de specie judicari debet, arg. *L. quæ de tota 76. ff. de R. V. Cabald. d. §. 3. n. 119. Andr. Gail. 1. obs. 37. n. 7. Mynſ. cent. 1. obs. 22. n. 7.* ubi hanc opinionem in Camerâ observari & secundum eam judicatum fuisse tradit. Imò quod de Clerico diximus, etiam in Studioso obtinere, autor nobis est *Richard. ad L. emptor. 8. ff. de Evict. n. 11.* Nam quamvis Studiosos, ipso actu studentes, fori privilegio gaudere non negemus, *Carpz. Resp. Jur. lib. 2. tit. 2. Resp. 32. n. 17.* attamen cum in casu, quo Litis denunciatio intervenit, principaliter non de personâ, aut re studiosi, sed emptoris potius, seu rei conventi agatur, inspiciaturq; magis, quod principaliter, quàm quod accessoriè & per consequentiam actum est, ideoq; etiam ratione accessionis, consequentiæ & connexitatis Judex Oppidanus habebit Jurisdictionem contra illum studiosum, quasi emptoris vicarium, quam directè & principaliter non haberet. Sed quid si denunciatus comparere nolit, utrum tunc Judex autoris adeundus erit? Eum non esse adeundum, movet me *L. ult. C. ubi in rem act.* sed potius juxta processum Juris Saxonici contra contumacem initiò ad legitima usq; impedimenta, bis auff ehehafften und behelffliche Wiederrede/ & ita porrò procedi posse.

(c) Quâ de re habemus text. express. in *L. 29. §. ult. ff. de Evict.* Churfürstl. Sächsisch. P. O. *Tit 14. in pr. ibi:* Es wehre gleich vor oder nach. Fürstl. Magdeb. P. O. *c. 12. pr. ibi:* Mag solches vor oder nach der *Litis contestation* geschehen. quod ampliatur procedere, ut factâ etiam Litis denunciatione in ultimo Termino, quo jam definitive pronunciandum esset, illa tamen nihilominus à Judice attendenda & denuncianti regressus

gressus adversus autorem suum reservandus sit, *Zang. de Except. p.2. c.2. n.7. Umm. Disp.11. Th. 8. n.29. Berlich. concl.24. n.80. Carpz. Resp. Jur. lib.3. tit.2. Resp.19. n.1. & seqq.* dummodo id fiat ante sententiam & publicationem attestatorum, quoniam postea propter metum subornationis ulterior productio non admittitur, *auth. at qui semel, ibiq; DD. communiter C. de probat.* Jam autem venditor, defensioni se offerens, tanquam Procurator quidam emptoris consideratur & cum illo una quasi intelligitur persona, ideoq; sicuti Procuratori post didicita attestata novos testes producere non est permissum, ita quoq; venditori hoc minimè integrum erit, *Fab. in C. de Evict. Defin. 25.* & consequenter nec Litis denunciationi amplius relinquetur locus, *Schneid. ad §. Inst. 28. Rubr. de act. exemp. n.51. Carpz. in Process. Jur. tit.5. art.3. n.20. & 21. Frid. in process. Judic. pag.108.* Sed quid si appellatum fuerit à Reo, principaliter convento, poteritne in appellationis instantiâ adhuc autori suo litem denunciare? Ita statuit *Joban. Monach. in Pract. jud. part.5. §.9. c.3. n.4.* per rationem, quod nempe appellatio reducat litem & causam principalem ad eum statum, in quo erat post litis contestationem, *L. ita demum 10. C. de procur. ubi Bald. & DD.* Ergò etiam reus principalis in Instantiâ Appellationis non tantùm litem denunciare, sed & alia non probata probare & non deducta deducere poterit, *L. per hanc 4. C. de temp. appell.* Illud autem, quod de Litis denunciatione post Litem contestatam, aut etiam in appellationis instantiâ instituendâ diximus, non aliter verum est, quàm si jus autoris per reum principalem nondum sit factum deterius, sed ipse potius, fideliter in judicio versatus, sic se gesserit, ne quid negligentiæ, aut culpæ ipsius imputari possit, per *L. dictum 56. § 1. ff. de Evict. L.17. C. eod. tit. Schneid. d. rubr. Inst. de act. n.55. Berlich. d. concl.24. n.90.* conducto nempè perito ad defendendum Advocato, *Marans. in Spec. Aur. p.6. memb. 6. n.17.* nec reo denunciante unquam contumaciter emanente, sed in omnibus terminis fideliter comparente, *Schneid. d. n.55.* secus enim si fuerit, & reus conventus si, re non amplius integrâ, litem autori suo, aut post litis contestationem, aut etiam in Appellationis instantiâ, denunciare velit, poterit is

de damno, propriâ denunciantis culpâ passo, excipere, & ita si non ipsam denunciationem, ejus tamen effectum optimo jure declinare; Unde rectè *Mascard. de probat. concl 615. n.4. & seq.* statuit, quod denuncians semper probare teneatur, se causam, quantum in se fuit, defendisse.

(d) Non ergò sufficit litem motam autori notificare, sed insuper etiam interpellatio atque requisitio expressa necessaria est, ut nempe autor litis adsistat reumque defendat, *L. empti actio 21. ibi interpellare. L. cum successores 23. C. de Evict. Fab. Lib.2. controv.35. §. mihi verior videtur. Covarr.3. variar. resolut.17 n.3. §. secundo non sufficit.*

(e) Per *L. nomen C. quæ res pign. oblig. non poss. L. ult. § 1. ff. de bon. aut. jud. possid.* Fürstl. Magd. P. O. c.24. *in pr. ibi:* neben überschickung der Abschrifft/und dem/so in der Sache fürgangen/ semper enim in judicio copia libelli & petitionis productæ reo datur ad hoc, ut deliberare possit; an cedere, an verò contendere malit, *L.1. ff. de edend.* ergò etiam hoc ipsum in autore denunciato obtinebit, ut nempe de statu litis certior fiat, *Fachin. 2. controv. 32. Caball. d. §.3. n.33. & seqq. Carpz. in Processf. Jur. tit.5. art 3. n 23.* & quidem copia libelli, citationis aliorumq; actorum reo transmitti debet sumptibus denunciantis, *Anton. Tessaur. Decis.218. n 1. in fin.* quem refert & sequitur *Matth. Berlich. concl.24. n.84.* ita tamen, ut reus denuncians ejusmodi sumptus lite finitâ ab autore recuperet, *d. concl. n.85. Carpz. in Processf. art. 3. n.27.* quod tamen non aliter, quàm sub distinctione, infra sub *Th.XII. Lit.(b.)* enumeratâ, verum esse puto.

Thes. XI.

Finis autem Litis denunciationis est, ut autor denunciatus denunciantem in judicio defendat. (a)

(a) Finis

(a) Finis enim nihil aliud est, quàm cujus gratiâ aliquid fit. Quod autem Litis denunciatio nullâ aliâ de causâ fiat, quàm ut autor ad judicium veniat, denunciantem defendat, Liti motæ adsistat eamq; instruat, illud satis elucescit ex *L.1. C. de peric. & commod. rei vend. L.49. ff de judic. L.75 ff. de procur. Hartm. Pist. Obs.228. n.8. & seqq.* ubi tamen denuncians sibi minimè persuasum habeat, ac si litis denunciatione factâ statim postea à prosecutione litis absolvi deberet; Nam autore denunciato in termino emanente in causâ principali minimè supersedetur, sed denuncians nihilominus in Lite manere cogitur, per *L 1. C ubi in rem act.* Fürstl. Magdeb. P. O. *c.24.* §. wenn aber *denunciat. in pr. Carp. Caball. §.3. n.142. Joh. Schneid. d. §.28. n.54. Zang. de Except. p.2. c.2. in fin.* ita tamen, ut emptor, aut alius denuncians vigore denunciationis postea etiam contra non comparentem autorem regressum habeat, *d.* §. Wenn aber/*ibi:* und Krafft der geschehenen *denuntiation* sich an seinem *autore* zuerholen befugt sey: dummodo, quod bene notandum, denuncians non existat contumax, absq; scientiâ autoris denunciati transigat, appellationem à sententiâ, contra se latâ, intermittat, aut per imperitiam atq; negligentiam Advocati causam penitùs perdat; tunc enim sibi ipsi per hoc & non autori denunciato nocebit, & consequenter omnem perdet regressum, *L. si dictum 56. §. si compromisero L.63. §. Gaja ff. de Evict. L.17. C. eod. Covarr. Lib.3. var. resol. c.17. Fachin.2. contr. c 40. qu 3.* Sed, quid si autor in judicio compareat, litemq; aut procuratorio nomine in se suscipiat, num hoc tantum casu denuncians liti eximetur? Etiam tunc reum denunciantem liti minimè eximi, probat satis manifestè die Fürstl. Magdeb. P. O. §. und da der Jenige/*ibi:* der beklagte aber *in Lite* bleibe; sed executio sententiæ potius in ipsum fit denunciantem, *Bald. in L.1. C. ubi in rem act. n.2. & seqq. Matt. Berlich. d. concl. 24. n 107.* Fürstl. Magdeb. P. O. *d.* §. und da der Jenige/*ibi:* und das erfolgete Urtheil wieder Ihn vollstrecket werde/ sive etiam solvendo sit denuncians,

 sive

ventus rem controversiam non suo, sed alterius nomine possidet, tunc enim ille dominum suum nominando, liti eximitur, nominatusq; judicium in se suscipere cogitur, per text. *L.1. C. ubi in rem act. d.* §. und da der Jenige/ *vers.* so ferne aber der Beklagte. *Emm. à Rosbach. in suo process. tit.48. n.23. & DD. communiter:* (2) quando denunciatus animo novandi, consentiente præsertim actore, Litem in se suscepit, cum quilibet regulariter actionem per novationem, aut delegationem in se suscipere posit, *L.ult. C. de novat.* ideoq; nihil obstabit, quin etiam utrâq; parte, actore scilicet & reo consentiente, judicium quoq; aliquis in se suscipere valeat, *Carpz. in Process. jur. tit.4. art.4. n.11. Berlich. d. concl.24. n.*111. cum aliis compluribus, ibidem allegatis.

Thes. XII.

Effectus Litis denunciationis, legitimè factæ, (a) hic est, ut re evictâ, aut reo convento in judicio superato, autor denunciatus non tantùm rei æstimationem, sed etiam omne illud, quod interest, restituat. (b)

(a) Quemadmodum igitur, teste *Carpz. in J. For. p.1. Const.3. Def.23. n.2.* insignis Litis denunciationis effectus hic est, ut autor emptoris ab ipso vicissim conveniri posit, ita econtra Litis denunciatione aut penitus omissâ, aut non legitimè factâ, (paria enim sunt, aliquid planè non, & non legitimè facere,) autor planè non tenebitur, sed reus, in judicio conventus, omnem potius perdet regressum, *L.8. C. de Evict.* L. *si parentes 20. C. eod.* L. *si fundo ff. d. tit.* Fürstl. Magdeb. P. O. *c.48.* §. wenn aber. *Hartm. Pist. Obs.128. n.6.*

Wesenb.

Wesenb. in π. ff. de Evict. n. 5. Carpz. Resp. Jur. lib. 5. Resp. 43. n. 2. & est ratio, quod autor magis præsumatur scire jus rei conventi, quod penes ipsum diutius fuit, quàm ipse. Quotiescunq; igitur ipsi non denunciatur, peciturq; instructio & assistentia in causâ, toties dolo id factum esse putatur, ita ut is, qui, litis denunciatione omissâ, si adhuc de regressu aliquo contra autorem gratulari vellet, exceptionem doli sibi obstare, certò certius persuasum habere debeat, arg. L. *si fundo 55. § 1. ff. de Evict.* Ampliantur autem supra dicta procedere, etiamsi autor evictionem, quocunq; modo emergentem, promiserit, ut nihilominus aut Litem denunciare oporteat reum, aut, denunciatoine omissa, suum perdere regressum, *Covarr. Lib. 3. var. resol. c 17. n. 7.* Quod nec aliter in Ecclesiâ, quæ judicio pulsatur, ac propterea autoris sui defensione indiget, obtinere probat *Umm. Disp. 11. Th. 6. n. 20.* Nisi (1) de justitiâ evincentis notoriè constet, appareatq; venditorem, sive autorem nullum planè jus habuisse, quo rem venditam, aliovè ex contractu alienatam, defenderet, *Wesenb. in π. ff de Evict. n 5.* Fürstl. Magdeb. P. O. *d.* §. Wann aber. (2) nisi reus conventus in se suscipere velit onus probandi, autori ad rem illam distrahendam nullum planè jus competiisse, L. *11. § 12. pr. ff. de act. empt. d.* § wenn aber *in fin. Carpz. in J. F. const. 3. Def. 24. n. 6. & in process. Jur. tit. 4. art. 4. n 32. & seqq.* Ac (3) deniq; nisi pacto aliter conventum, & ita denunciandi necessitas denuncianti per denunciatum expressè remissa sit, per text. in L. *Herennius 63. pr. ibi: si pacto ei remissa, ff. de Evict.* cujus ratio habetur in L. *pen. C. de pact.* quod nimirum quilibet favori, pro se introducto, renunciare possit, Vid. *Mascard. de probat. concl. 615. n. 19. Schoran. in Exam. Jurid. ad tit. ff. de Evict.* Plures casus, in quibus, omissâ quantumvis litis denunciatione, reo tamen convento, nihilominus adhuc contra autorem suum patet regressus, videri possunt apud *Mynsing. cent. 1. obs. 56.* & *Berlich. d. concl. n. 70. & seqq.*

(b) Per L. *venditores 102. ff. de V. O.* L. *17. C. de Evict.* quod autem de sumptibus ac interesse diximus, non aliter

verum

ritò denegatur, tum propter text. *L. si status 18. ibiq; Gl. & Don. C. de Evict. L. 11. §. 2. ff. de act. empt.* tùm propter rationem, quòd nimirum ejusmodi sumptus citra omnem denunciati culpam impensi fuerint, utpote qui minimè impedire potuit, quo minus denuncians per injuriam, aut calumniam alterius vexetur, ideoq; si postea eventus Litis justitiam causæ victoriamq; ostenderit, nihil utiq; ipsi imputari poterit, *Bachov. ad Treut. vol. 2. Disp. 2. Th. 8. Lit. D. in pr.*

F I N I S.